

www.e-rara.ch

**Henrichi Loriti Glareani, patricii Claronensis apud Helvetios, in omneis,
quae quidem extant, T. Livii Patavini clarissimi historici decadas,
annotationes**

Glareanus, Henricus Loriti

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-655>

Augustissimo invictissimoque imperatori Caesari Carolo V. Henrichus Glareanus s. d. p.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

AVGVSTISSIMO INVICTISSIMO

QVE IMPERATORI CAESARI CAROLO V.

Henrichus Glareanus S. D. P.



AVD SVM nescius, Inuictissime Imperator CARO-
LE, quàm multorū hominū, etiam eximiè doctorū,
graue iudiciū sim subiturus, quod autorem tam præ-
clarum, & in hominū manu tam frequentem, emen-
dandū mihi desumpserim: quibusdam frustraneū
laborem esse existimantibus, quod multi & celebres
hercle uiri idem negocij tractarint: quibusdam etiā temerariū cense-
bus, quod nihil uideatur in eo autore reprehensione dignū. Sed utrisq;
(quando id res postulat) respondendū duximus. Primū, scio nos infi-
cias ire non posse, quin multi & præstantes uiri, multa & præclara in eo
autore emendarint, studiosisq; utile opere præciū fecerint. Sed iidem illi
tamen diffiteri non possunt, quin multa indiscussa, dubia, ac mutila reli-
querint, posteris diligentius pensitanda: quod nobis quoque confiten-
dum. Nam ut nominatim de Antonio Sabellico dicam, homine citra
controuersiam docto, siquidem illi, præter annotata pauca quedam,
reliqua fuerūt perspecta, næ ille felix omnino mihi censebitur, quando
eius codex immensis tot mendis scatebat. IANI Parrhasij annotatio-
nes, de quibus in præfatione cōmentariorū in Claudianū mentionem
facit, ad manus nostras nō peruenerunt, quare de ijs iudicium ferre ne-
quimus. LAURENTII Vallæ in quosdam libros uidimus, quæ sunt,
ut omnia eius autoris, argutæ, doctæ, ac eo dignæ. Nostra certe atate
in hoc autore emendando celebres officinæ librariæ, laudabili per Io-
uem æmulatione, inter se certasse uidentur, Aldina, Badiana, ac Frobe-
niana: sed uicit, meo quidem iudicio, longe Frobeniana editio, opera ac
diligentia D. BEATI Rhenani & Sigismundi GELENII, doctorū uiro-
rum fulta. Verū ij tamen pauca de ijs attigerūt, quæ nos antea annota-
ueramus, nec adhuc edideramus, alioqui nostra delere & supprimere
nō dubitassetus. Exemplaria illi secuti sunt uetusta, quæ nos quoq; ui-
dimus. Sed quæ ad historiæ emendationē, & plerunq; ad temporū ra-
tionem, Romanorumq; magistratuum nomenclaturā pertinebant, ea
(nisi fallor) nos diligentius inspeximus, ut lector ipse iudicabit, simul-
atq; nostra cum alijs conferet. quare neutiq; hunc nostrum post tot exi-
mios uiros laborem frustraneū existimamus. Verumenimvero, quan-
do quidem multi obstrepunt, temerariū esse quicquā in tali autore uel-
licare: obuiandum sanè & horum opinioni putauimus, ne audaciæ cul-
pam, aut crimen potius agnoscere uideremur. Primū, cum in confesso
sit, ab historico abesse prorsus debere omne odium, solamq; illi rerum
gestarum ueritatem ob oculos ponendam: quàm uerè id obseruarit Li-
uius, uel hinc æstimari poterit. Nam ut de Germanis, Hispanisq; exi-
mij duabus nationibus taceam, Gallos hercule, gentem omni ætate il-

Iustrem & bellicosam, maxime autem eo tempore, quo Liuiana decurrit historia, nunquam desinit odiose tractare, eleuare, nōnunquā etiam pugnancia de ea dicere, homo in Cisalpina Gallia natus, quod nos in his annotationibus, sed obiter, aliquot locis indicauimus. Deinde si quis ueterem Romani Imperij originem apud Dionysiu legat, ac cum Liuiana breuitate comparauerit, uidebit opinor nos haud immeritò prætulisse Dionysij curam ac diligentiam, Liuij festinationi: adeò circumspectè omnia Dionysius, adeò negligenter Liuius ea tractasse uideatur. Quod ex Dionysio nos de clausibus, Laurentius Valla de Prisci Tarquinij nepotibus reprehendit. Nam de plebis in sacrum montem secessione, de Cn. Martio Coriolano, de Decemuiris, nimium acisam apud Liuium esse historiam, manifestius est, quàm ut apud peritos probari oporteat. Iam si quis Herodoto præferat Liuiū, quod ille sæpius fabulas narrare uideatur, inspiciat quæso uel primo libro ab Vrbe condita (ut alios interim omittam) Herculis & Euandri colloquium: dein & Caci fabulam: ut nihil dicam de Proculi renuntiatione, de Dianæ boue à Sabino immolata, de Bruti baculo, de papaueribus à Tarquinio decussis: an non sunt hæc ijs, quæ Herodotus narrat, perquam similia? Quanquam hæc nō eò pertinent, ut Liuij gloriam his obiectis, quæ forsitan excusationē suscipiunt, eleuari cupiam, quod alijs quoque in libris nostris testati sumus: sed ut lectori ostenderem, non minus magnos autores cum iudicio legendos esse, atq; dubios, ac non ita magnos. Liuius senex historiam scripsisse dicitur, diuersos ac magnos secutus autores, ut in præfatione ipse fatetur. Non igitur mirum, si & sæpe memoria labatur, & nonnunquam diuersa, ac propè contraria scribat. Nec me fugit uulgatam esse opinionem, animis hominum penitus insitam, & multis ita persuasam, ut si contrarium dixeris, insanus prorsus uidearis: nempe Romanos historicos longè præferendos in historiae ueritate esse Græcis. At per me licebit ita perpetuò opinentur qui uolent: mihi sanè neq; Quintilianus in primis grauis autor, neque quisquam alius, quantumuis subtilis orator, hoc persuadebit, ut Liuium Herodoto æquem, tantum abest ut eundem Liuius postponam. Sed non est opus hic eam rem longius prosequi, in qua plureis habiturus sum reclamatores. Ad rem nostram redeo. Ego pro communi omnium studiosorum utilitate hunc suscipi laborem, non pol gloriæ aucupandæ gratia, qua uia, nostra quidem ætate plurimi grassantur: non carpendi studio, qua siti longè plures nunc crescunt: non denique temerè ac sine iudicio, quod ipsum quoq; pluribus hodie quàm dicere uel audeam uel uelim, in usu est. Si lectoris gratiam inde nanciscar, satis præmij laborum meorum tulero. magis tamen eiusdem fructum ac utilitatem spectauit, ut quo pacto, quo iudicio magni autoris, exemplo Laurentij Vallengis, optimi & doctissimi uiri, legendi sint animaduertat. Non desinit autor magnus esse,

etiamsi

etiam si alicubi labatur, humanū peccatum est error, & nemo adeo pro-
uidus ac circumspectus est, qui non aliquando labatur, ut rectè Lactan-
tius Firmianus, Christianæ eloquentiæ lumen, admonuit. Hoc ma-
gis uitiosum, ita cuiquam quenquam affectum esse, ut in eo nullum er-
rorem, nullum esse næuum pertinaciter defendat, quales hodie multos
nouimus. Sed neque illi satis sani sunt, qui tam impotenter clamant, ac
impudentiæ adscribunt, si quis in magno autore quicquam reprehen-
derit, quasi illi non fuerint homines, cum sæpe codicum fides, non ipsi
autores culpentur. Mordetur Valla à Poggijs, Facijs, Morandis, Rau-
densibus, in eo quo clarissimū meruerat triumphum. Nulli, inquiunt,
pepercit. Nulli barbarorum pepercit, & rectè, mea quidem sententia.
Imò ne in hoc quidem culpandus, quod amore linguæ latinæ, in Vergi-
lio, sua mater: in Terentio, amore sui, ausus fuerit reprehendere. Quo-
ties Donatus Terentij quædam reprehendit, & Vergilij Seruius: qui in
hos quoque clamant inuidi: Non in autores inuehimus, si errores da-
mnamus, quorū plerique iniuriā temporū acciderūt, quidam etiam hu-
mana imbecillitate, pauci fortassis etiam autorū uel prauo iudicio uel
affectu. Et tempore Liuij quis credidisset imperiū populi Rom. eò de-
uenire posse? Prudentes, inquiunt, poterant. Sed ea turba non tum so-
lum, uerum omni tempore exigua & fuit, & est hodie, & erit perpetuò,
quæ causa Liuius fuit, opinor, ut ubique in Gallos debaccharetur, bel-
luas uocando, stupidos, ac corporibus diffuentes, ratus forsan Gallos
semper Romanis fore subiectos, ut erant quando ipse historiam scribe-
bat. Verum hæc ingenuo homini, & qui à posteris sua scripta legi cu-
piat, nō satis idonea in ulla natione inuehendi causa uidetur. Sua lau-
dare nulli nō conceditur: aliena uituperare absque uehementi causa, neu-
tquam decet. Quanto igitur satius fecisset Liuius, si exemplo C. Cæsa-
ris, hosteis cōmendasset, ac debita laude nō fraudasset: ita enim populi
Romani gloria haud dubiè augustior apparuisset. Inualuit hac nostra
etiā nū tempestate pessimus quorundam mos, omnibus maledicent-
di, nemini benedicendi, quasi data opera ita laudem uenantes: quo pes-
simo instituto Germani in Gallos debacchant, Galli in Hispanos, rur-
sus Hispani in Gallos, Galli in Germanos, atque alij uicissim & in hos &
in illos: quam cōsuetudinem iuuenilium affectuum puto, ac hominum
propemodum insanorū. Nam quæ natio est in qua non permixtim bo-
ni ac mali inhabitent: Nobis nostra placent: placeant porro, at absque
aliarum nationū cōtumelia. Mirum uero ita quenquam affectum esse,
ut nihil moliri queat, nisi sit fellis amaritudine conditum. Itaque Liuius
hac in parte affectus suos, meo quidem iudicatu, non satis digne repres-
sit, quod tamen factum oportuit. Sed huic quoque obiectioni satis re-
sponsum putamus. Nunc, quod ad annotationes nostras attinet, lecto-
ris iudicio subijcio, cui si quædam nimis tenues uidebunt, cogitet quot
capita in Au. Gell. reperiatur, quorū profectò me multū puderet, quod

HENRICH GLAREANI EPISTOLA.

aridæ, & hominis omnino ociosi dubitationes uideantur : quæ tamen in magnis uoluminibus, ut lectoris recreetur animus, locū habere possunt. Si quædam nimis audaces uidebuntur, causam reprehensionis secum lector perpendat. Si quædam indoctæ, aut quæ iudicium nostrū falsum arguant, det mihi ueniam, quæ nulli denegari potest, qui errorem ostensum fateri & corrigere sit paratus. Plura dicenda erāt, sed nō uideo quid utilitatis inde ad lectorem redeat. Ad te inuicēissimè CÆSAR redeo, cui nostrū laborem dedicare uolui, ut, cum me tuus auus, immortalis memorię MAXÆMYLIANVS Imperator multis honoribus & beneficijs affecisset, eundem me tua quoq; Maiestas cognoscere, ac in tutelam suscipere digne: neq; enim quicq; aliud desidero, nihil aliud ambio, quàm ut auo, ut fratri tuo Cæsari FERDINANDO, optimis principibus, ita tuæ complacuisse Celsitudini; quod si adipiscar, in magna fortunarū mearū parte posuerim. Deus opt. max. Maiestatem tuam ad ipsius gloriam, & Christianę reipub. salutem quàm diutissimè incolumē conseruare dignetur. Fribur.

gi Brisgoæ, anno à IESV CHRISTI natali M. D. XL. calen. Mañs.